



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola II. Innocentii Papae II. Ad Lotharivm Et Richizam. Concedit
allodium terrarum comitissae Mathildae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

EPISTOLA II.
 INNOCENTII PAPÆ II.

AD LOTHARIUM ET RICHIZAM.

Concedit allodium terrarum comitissæ Mathildæ.

*Innocentius papa II. Lothario imperatori Augusto
 & Riget imperatrici.*

SI auctoritas sacra pontificum & potestas imperialis vere glutino caritatis adinuicem complentur, omnipotenti debitus famulatus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in præfenti sæculo est pontifice clarius, nihil rege sublimius, nihil est quod lumine clariore præfulgeat quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera religio. Quæ nimirum omnia tanto manifestius, Deo gratias, in persona tua clarescunt, quanto ab ineunte ætate amator religionis & cultor iustitiæ extitisse cognosceris, & nouissime diebus istis, nec personæ tuæ, nec propriæ parcendo pecuniæ, pro beati Petri seruitio multos labores & immensa pericula pertulisti. Cum ergo, testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant impartire, dignum profecto est, vt nos, qui, disponente Domino, vniuersis catholicæ ecclesiæ filiis debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus, & tamquam specialissimo ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum imperii in suo robore conseruandum, & vtilitatem ac liberationem catholicæ ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium, quam temporaliter imperatoriam potentiam augeamus. Hoc nimirum intuitu allodium bonæ memoriæ comitissæ Mathildæ, quod vtrique ab ea beato Petro constat esse collatum, vobis committimus, & ex apostolicæ sedis dispensatione concedimus, atque in præsentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, nec non principum & baronum, per anulum inuestimus: ita videlicet vt centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exoluas, & post tuum obitum proprietatis ad ius & dominium sanctæ

Concil. Tom. 27.

M ij

Romanæ ecclesiæ cum integritate absque diminutione & molestia reuertatur. Quod si nos vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit; tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout apostolica sedes decreuerit, honoremur. Qui vero arces tenuerit, vel rector terræ fuerit, beato Petro & nobis nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Ceterum pro caritate vestra nobili viro Henrico Bauariæ duci genero vestro, & filia vestræ uxori eius, eandem terram cum præfato censu & supradictis conditionibus apostolica benignitate concedimus; ita tamen ut idem dux hominum faciat & fidelitatem beato Petro, ac nobis nostrisque successoribus iuret. Post quorum obitum prædictum comitissæ Mathildæ allodium & ius & dominium sanctæ Romanæ ecclesiæ, sicut supradictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducatur; saluo tamen semper in omnibus eiusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ iure ac proprietate. Datum Laterani sexto Idus Iunii.

EPISTOLA III.

INNOCENTII PAPÆ II.

AD ATTONEM EPISCOPVM PISTORIENSEM.

De immunitate ecclesiæ Pistoriensis concessa.

Innocentius episcopus seruus seruorum Dei, venerabili fratri Attoni Pistoriensi episcopo, eiusque successoribus canonicè promouendis, in perpetuum.

PISTORIENSIS ecclesia, largiente auctore omnium bonorum Domino, in Tusciæ partibus a longe retro temporibus huius specialis prærogatiuæ munus obtinuit, ut sapientum & discretorum pastorum regimine præfulgeret, & tam in spiritualibus quam in temporalibus per eorum industriam gratum Deo susciperet incrementum. Gaudemus equidem, & debita iucunditate lætamur, quoniam supernæ dispositionis prouidentia te, venerabilis frater Atto episcope, sapientem utique virum, & in religione probatum, eiusdem loci pastorem constituit, & ad gubernandum & instruendum doctrinæ & vitæ exemplo